



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Art. II. An ad solos sacerdotes pertineat dispensatio hujus Sacramenti?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

loco, satis obscuro, videri possunt apud Gabrilem Albaspineum, Aurelianensem Episcopum, lib. 2. de Euchar. cap. 8. Dionysium Petaviium in disertationibus Ecclesiasticis contra Salsamium, & Ysambertum, hic quaest. 82. disp. 1. art. 2. à quibus nonnulla mutuati sumus.

ARTICULUS II.

An ad solos Sacerdotes pertineat dispensatio hujus sacramenti?

Dico primò, ad Sacerdotes ex officio spectat hoc sacramentum populo dispensare. Ita D. Thomas hic art. 3. ubi hanc conclusionem triplici ratione probat. Prima est, quia cui convenit actus principalis, convenit & accessorius: Atqui Sacerdoti per se & ex officio convenit consecratio Eucharistiae, quae est principalis actus: Ergo eidem per se etiam & ex officio convenit ejus dispensatio. Unde idem S. Doctor in officio Corporis Christi quod de mandato Urbani IV. edidit, sic habet: *Cujus officium committi voluit, solis Presbyteris, quibus sic congruit, ut sumant, & dent ceteris.*

Secunda est: Sacerdos constituitur medius inter Deum & populum: unde sicut ad eum pertinet dona sanctificata divinitus, populo tradere. Unde Apostolus 1. ad Corinth. 4. loquendo de Sacerdotibus ait: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Quam rationem fufius expendit & magis illustrat in 4. sent. dist. 13. quaest. 1. art. 3. quaestione. 1. ubi ait, *quod sicut in corpore naturalis sunt quaedam membra principalia per qua virtutes & operationes Divina, à principio vitae ad cetera membra decurrunt: ita & in Ecclesia Sacerdotes sunt quasi membra principalia, quibus mediantibus Sacramenta vita populo dispensari debent; & ideo laicis, quantumcumque sanctis, sicut nec consecratio, ita nec dispensatio hujus sacramenti competit.*

Tertia est, quia in reverentiam hujus sacramenti à nulla re contingit, nisi consecrata: unde & corporale & calix consecrantur, & similiter manus Sacerdotis ad tangendum hoc sacramentum: Ergo illi soli per se & ex officio competit illud tangere & populo dispensare. Unde Tridentinum sess. 13. cap. 8. *Semper in Ecclesia Dei mos fuit, ut laici à Sacerdotibus communionem acciperent: Sacerdotes autem celebrantes seipos communicarent: quos mos, tanquam ex traditione Apostolica descendens, jure ac merito retineri debet.*

Dico secundò, non omnes Sacerdotes possunt hoc sacramentum licitè ministrare, sed solum illi qui habent potestatem jurisdictionis, vel ordinariam, vel delegatam.

Hæc etiam conclusio est omnino certa: ita enim generaliter de sacramentis habetur in Clementina *Dudum*, de sepulturis, & in particulari de isto in Concilio Carthaginensi 1. cap. 7. & Milevitano cap. 18. & Lateranensi cap. *Omnis utriusque sexus*. Ratio verò est, quia etsi administratio Eucharistiae non sit actus judicialis, sicut est poenitentiae administratio, est tamen proprius pastoris actus, & quidem magis, quam actus publicè docendi populum, cum sit actus pascendi gregem Christi spirituali pabulo carnis Domini: Ergo ad licitè administrandum hoc sacramentum potestas jurisdictionis vel ordinaria vel delegata requiritur. Unde Leo Papa Epistolâ Decretali ad Theodorum Episcopum Forojuliensem, relatâ in cap. *Multiplex* 49. de Poenitentia dist. 1. *Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, hanc Præpositis Ecclesia*

A *radidit potestatem, ut & confitentibus dicitur Poenitentiae darent, & eosdem salubri jurisdictione purgatos, ad communionem sacramentorum poenitentiam reconciliationis admitterent.* Ex quibus certum est, esse peccatum mortale ministrare Eucharistiam sine debita jurisdictione aut facultate, quia est usurpare jus alienum in re gravi, & cum communi & debitam gubernationem, & ordinem Ecclesiae. Poitò jurisdicção ordinaria refidet in superioribus quorum officio connexa est, ut in Summo Pontifice pro universa Ecclesia, in Episcopo pro sua Diocesi, in Parocho pro sua Parochia. Extraordinaria verò seu delegata refidet in illis quibus à superiore communicata est, ut illi per bullas Pontificias habent Religiosi mendicantes, unde licitè possunt in suis Ecclesiis Eucharistiam quovis anni tempore, præterquam in die Paschali & in articulo mortis, ministrare.

B Advertendum est autem, hoc inter administrationem sacramenti Poenitentiae & Eucharistiae periri discrimen, quòd pro administratione poenitentiae requiritur approbatio Ordinarii, non verò pro administranda Eucharistia, cum amplexusque non sit eadem ratio: nam in Sacramento Poenitentiae requiritur scientia, quâ distinguuntur peccata, requiritur etiam specialis probus minister, propter specialem familiaritatem communicantibus: semel autem hostia consecrata, eam ministrare, has difficultates non habet: unde preceptum est, quod simplices Sacerdotes ad Ordinatio non approbati, ex expressa vel tacita Pontificia licentia, Eucharistiam ministrant.

C Dico tertio, Diacono ex officio convenit legem Christi dispensare, non verò corpus, cum commisione tamen Sacerdotis, cujus est minister. S. Thomas hic art. 3. ad 1. ubi ait, *quòd Diaconus, quasi propinquus ordini Sacerdotis, aliquid participat de ejus officio: ut scilicet dispenset sanguinem, non autem corpus, nisi in necessitate, sicut Episcopus, vel Presbytero.* Primo quidem, quia sanguis Christi continetur in vase, unde non oportet, quod tangatur à dispensante, sicut tangitur corpus Christi. Secundo, quia sanguis designat redemptionem à Christo in populum derivatam: unde & sanguis admiscetur aqua, quae significat populum. Ex quo Diaconi sunt inter Sacerdotem & populum, magis convenit Diaconis dispensatio sanguinis, quam dispensatio corporis. Idem docet in 4. dist. 14. quaest. 1. art. 3. quaestione. 2. ubi sic dicitur: *Sicut Sacerdos participat aliquid de virtute perfectiva, quae est Episcopi; ita Diaconus participat aliquid de dispensatione hujus sacramenti: competens enim ei ex officio sanguinem. Dicitur dispensare, sed non corpus: quia dispensator corporis operatur quòd ipsum corpus tangat, non autem dispensator sanguinis: Diacono autem non licet corpus Christi tangere, cum non habeat manus sacratas; & illi non debet corpus dispensare, nisi de mandato Presbyteri, vel Episcopi; vel Presbytero, si in casu necessitatis. Vel ideo dispensat sanguinem & non corpus, quia per sanguinem significatur redemptionis mysterium, quòd à capite Christo in membra diffunditur officio ministratum: unde & sanguini aqua quae populum significat admiscetur: sed incarnationis quam corpus Christi significat, non est humano ministerio facta. Quibus rebus Sanctus Doctor conclusionem nostram confirmat & probat. Potestque confirmari ex antiqua praxi Ecclesiae: antiquitus enim quando vigebar usus communionis sub utraque specie, dispensatio sanguinis pertinebat ad Diaconum.*

ad quem tamen non pertinebat dispensatio corporis, ut constat ex verbis S. Laurentii ad Sixum: *Experire, utrum idoneum ministrum elegeris, cui commissi Dominici sanguinis dispensationem*: ex Cypriano serm. de lapsis & Ambrosio lib. 1. de officiis cap. 14. Jam verò usus ille cessavit in populo: durat tamen in Capella Pontificis, ut Durandus dist. 13. quæst. 4. refert, nam dum ipse solemnius celebrat, post sumptionem corporis solum vadit; & tunc Diaconus consecratum calicem ei affert & porrigit.

Dices, Diaconus solum ex commissione Sacerdotis habet, quod sanguinem Christi populo dispenseret: Ergo id non habet ex officio. Unde in ordinatione Diaconi nulla fit mentio hujus actus, sed solum datur ei potestas legendi Evangelium, quæ nullam habet cum dispensatione sanguinis connexionem.

Respondeo, concessio Antecedente, negando consequentiam: licet enim dispensatio sanguinis Christi, conveniat Diacono ex commissione Sacerdotis; hæc tamen commissio non datur ei a libitum Sacerdotis, sed ex officio suo habet Diaconus ut hoc ei committatur, quia officium ejus est ministrare Sacerdoti in consecrando & dispensando. Unde in cap. *Diaconus* dist. 23. sic dicitur: *Diaconus dum ordinatur, ad ministerium consecratur*. Ex quo patet solutio ad illud quod subditur, ut enim Diacono ex officio competat potestas dispensandi Christi sanguinem, non requiritur quod hujus fiat expressa mentio in ejus ordinatione, sed satis est quod in ea declaratur, ipsum ad ministrandum immediate Sacerdoti consecrari; ex hoc enim colligitur, quod *Diaconus ut propinquus ordini Sacerdotali, aliquid participat de eius officio, ut licet dispenser sanguinem, non autem corpus, aut ait D. Thomas supra relatus. Ex quo*

Inferes, quod licet Dominici sanguinis dispensatio possit etiam nunc absque ulla necessitate committi Diacono, & de facto adhuc committatur, dum summus Pontifex solemnius celebrat, ut supra ex Durando retulimus; non tamen dispensatio corporis, si nulla cogat necessitas. Si verò necessitas cogit, & Sacerdos abest, potest Diaconus corpus Christi infirmo ministrare, ut colligitur ex Concilio Nicæno 1. can. 18. vel 14. alia versione, nam in eo, absente Sacerdote conceditur Diacono potestas, ut ipse de Ciborio proferat sacramentum, & sumat: Igitur à fortiori poterit idem Diaconus, in casu necessitatis, si nullus adsit Sacerdos, Eucharistiam infirmo ministrare. Imò si ex negligentia aut nequitia nollet Sacerdos, etiam à Diacono monitus, Sacramentum deferre infirmo, possit Diaconus illo invito suum munus præstare, & misero infirmo in extremis succurrere, ut ait Soto in 4. dist. 13. qu. 1. art. 3.

Id etiam posse Subdiaconum, imò & Laicum, censet Suarez, Valentia, Coninck, & alii Recentiores, quibus favet Cajetanus Matth. 26. ver. 26. ad illa verba, *Accipite & comedite*, dicens. *Adverte hic quod sicut Ecclesia laudabiliter pro reverentia Eucharistia non utitur Eucharistia cibo, nisi jejuna, excepto extrema aegritudinis articulo, licet Dominus intercedendum communicaverit Discipulos: ita laudabiliter pro reverentia Eucharistia abstinere ab isto modo manducandi, Accipite & comedite, ut non nisi sacris manibus tangatur Eucharistia. Verum ad imitationem Christi communicare tali modo in articulo necessitatis, non esse inconveniens. Sicut etiam non jejunos, uti dictum est, in articulo necessitatis communicamus.*

Tom. V.

Qq ij

alias

A *Esset autem necessitatis articulus, si tempore epidemia non haberetur Sacerdos communicans more Ecclesie solito, sed haberetur Sacerdos, qui prope offerret Eucharistiam, & locando super præparato loco, diceret communicaturis prope expectantibus & adorantibus, Accipite, comedite, possent enim reverenter accipere & comedere. sicut fecerunt Christi Discipuli, qui acceperunt à Jesu non manu ad manum, sed ex mensa, cum sederent multi in tanta distantia, ut manus Jesu manibus eorum non posset jungi. Crediderim ego, quod sicut unum calicem communem omnibus tradidit, ita in una patina panem in duodecim buccellas fractum, manibus propriis tradiderit, & quod hinc Ecclesia usum patinarum Apostolicam traditione acceperit. Ita quod sicut calicem unus Discipulus dedit alii, ita patinam cum pane sancto propinquiores Jesu remotioribus successive porrexerunt.*

Opposita tamen sententia, quæ negat in nullo casu licitum esse Subdiacono vel Laico ministrare hoc sacramentum, communior & probabilior est, doceturque expressè à D. Thoma; qui quamvis Laico in necessitate corpus Christi tangere, licitum esse concedat hic art. 3. in fine corporis articuli, in nullo tamen casu admittit licere ei illud aliis ministrare; sed in 4. sent. dist. 13. quæst. 1. art. 3. quæstione. 1. ad 3. dicit: *In casu necessitatis potest & debet corpus Christi tangere, etiam si sit peccator, ut si in aliquo loco immundo jaceat: sed non est simile de dispensatione sacramenti, quia receptio hujus sacramenti non est necessitatis. Unde ei qui non potest sacramentaliter manducare, dicendum est, Accede & manducasti.* Quibus verbis S. Doctor rationem fundamentalem indicat, cur laico in nullo casu licitum sit ministrare hoc sacramentum: decet enim ob dignitatem tanti sacramenti, & rei in illo contentæ majestatem, ut non nisi à Sacerdote, & in solo casu necessitatis tantum à Diacono administretur: aliunde verò cum non sit ad salutem necessarium, sed tantum utile, fideles etiam in articulo mortis constituti non tenentur illud recipere, nisi cum debitis circumstantiis, ad ipsius reverentiam, quæ private personæ utilitati prævalere debet, requisitis.

C Unde sicut ad subveniendum infirmo in articulo mortis constituto, non licet Sacerdotem non jejunum, aut sine vestibus sacris celebrare, quia hoc est contra reverentiam hujus sacramenti: ita neque licebit ad subveniendum illi, ut laicus hoc sacramentum ei administret, cum hoc non minus contra sacramenti reverentiam videatur. Unde Concilium Rhemense relatum in cap. *Pervenit*, de consecrat. dist. 2. sub gravissima pœna prohibet, ne laici hoc sacramentum ministrarent infirmis. Accedit Ecclesie consuetudo, nunquam enim auditum est id fuisse factum, cum tamen casus, quantum est de se, rarissimus non sit, sed sæpe contingat, præsertim in locis exiguis, ubi non adsit Sacerdos, vel Diaconus, qui infirmum in extremis constitutum communicare possit.

E Quod diximus de ministracione hujus sacramenti aliis, dicendum videtur de ministracione sibi ipsi. Unde Diaconus, absente Sacerdote, potest seipsum communicare, si nullum sit scandalum: id enim ei absolute concedit Concilium Nicænum primum can. 14. nulla mentione factâ de mortis articulo. Idem à fortiori licebit Sacerdoti, si vel celebrare non possit, vel non habeat omnia ad celebrandum requisita, nullisque

alius Sacerdos adfit. Id vero laico nullatenus est concedendum : nam cui con licet aliis ministrare hoc sacramentum, nec sibi ministrare licet.

20 Dices, Antiquus mos fuit in Ecclesia, ut fideles Eucharistiam à Sacerdote acceptam, propriis manibus sumerent, viri nudis manibus, femine nitido linteolo obvolutis, ut testatur Baronius in Epistola ad Casariam Patritiam, & ex Cyrillo Hierosolymitano Catechesi mystagogicâ §. ubi sic ait: Non expansis manuum volis, eccede. sed sinistram veluti sedem quandam supponens dextra qua tantum Regem suscipiunt est concava manus corpus Christi suscipe. Hinc sermone de lapsis refert Cyprianus, aliquem cum manibus immundis Eucharistiam sibi à Sacerdote datam recepisset, nihil in ipsis nisi cinerem invenisse : Ergo etiam nunc potest laicus, saltem in casu necessitatis, sibi ipsi Eucharistiam ministrare. Unde præterito sæculo, Maria Stuart, Regina Scotiae, martyrium subitura, & impia Elizabethæ iussu mortem passura, Eucharistiam propriis manibus sumpsit, ut refert P. Nicolaus Causinus in historia martyrii ejusdem Reginae.

21 Respondeo, concesso Antecedente, negando Consequentiam: tum quia tunc nulla de tali communionis usu extabat prohibitio, uti extat nunc: tum etiam, quia caeremonia illa quæ antiquitus servabatur, ut communicaturi acceptam Eucharistiam è manibus Sacerdotis ipsi sibi ori applicarent, non erat propriè Eucharistiae administratio, sed applicatio potius ad os ipsius communicaturi: sicut quando communicans lingua vel digito applicat sumptum sacramentum, ut illud commodè deglutiat: ministrare enim propriè est ipsum sacramentum tribuere, ac donare, quod solum exercebat Sacerdos, tribuendo Eucharistiam communicaturo, ut ipse sibi ad proprium os illam applicaret. Ad exemplum verò Reginae Scotiae, respondeo cum illa dispensatum fuisse à Pio V. ut Causinus libro citato asserit.

DISPUTATIO XI.

De sacrificio Missæ.

Ad quaestionem 83, Divi Thomæ.

Sicut in veteri testamento Agnus paschalis non solum habuit rationem sacramenti, sed etiam sacrificii; ita & in nova lege Eucharistia utramque sortitur rationem cum non solum instituta sit in salutem animarum nostrarum, ut cætera sacramenta, sed etiam in peculiarem cultum Dei, quomodo haber rationem sacrificii, quo supremum ipsius dominium, & potestatem quam habet in vitam & in mortem omnium protestatur. De Eucharistia in ratione sacramenti considerata, huc usque disputavimus; nunc superest nobis agendum de Missæ Sacrificio, circa quod variaz & celebres occurrunt difficultates & controversiæ, breviter hîc discutendæ. Plura verò quæ de sacrificio in communi, variisque ejus speciebus, aliqui Theologi hic fusè expendunt, prætermittimus, quia de his sufficienter egimus in Tractatu de quatuor Virtutibus Cardinalibus, explicando actus externos religionis, inter quos sacrificium præcipuum locum obtinet.

Disp. 3. art. 3.

ARTICULUS PRIMUS

An Missa, seu celebratio Eucharistia sit vere ac propriè sacrificium?

§. I.

Hujus nominis, Missa, etymologia, & antiquitas explicantur.

Nomine Missæ actio illa sacra intelligitur, qua in Ecclesia Catholica cõficiuntur Eucharistia, multis præcedentibus & subsequentibus, & caeremoniis, quam actionem Græci Leuegiam vocant. Difficultas verò & controversia inter Autores, an vox illa Missa Hebraica sit, vel Latina? Hebraicam esse docet Concilium Tridentinum in decretis fidei cap. ut tenentur plures Scripturae, cum Cardinali Baronio tomo 1. anno Christi millesimo 59. ubi hæc scribit: Neque tamen præterendum, quod cum multa sint hujus sacrificii nomina, illud est antiquissimum, & apud Latinos usitatum, atque frequentius, Missa, quod quidem (sicut & Christiana fides profertur) ex Hebraica, vel Chaldaica nomenclatura acceptum esse videtur. Quod enim in nostra Patria hebraice dicitur Hissab, quam offeruntur Deum in gratiarum actionem de fructibus terra, & vescebantur in templo, cum recordatione precoriarum servitutis, & ab eadem liberatione, quæ quidem omnia, cum optime conveniant præter à Christo instituto sacrificio; eo potius hæc nostri usi sunt nomine, quam christiani aliorum sacrificii.

Alii vero censent, vocem illam, nullo modo Hebraicam esse, ut ab Hebraica derivatam; alioquin omnes Christianæ nationes, sicut alias in primis retinissent, quales sunt Armeni, Aethiopes, Sines &c. Nam & Græci his omnibus utuntur vocem Missæ non item, sed pro Missa, Liturgiam dicunt. Imò Syri & Maronitæ, qui Chaldaicam linguam Missam celebrant, vocem Missæ non habent, & ex SS. Patribus Origenes, Iulianus, Epiphanius & Hieronymus, Hebraicæ lingue periti, hac voce nunquam utuntur. Hanc ergo vocem volunt esse Latinam, à verbo missa ductam, & nonnulli cum Hugone à S. Victore lib. 2. de sacramentis p. 8. cap. ultimo ostendunt celebrationem Eucharistia Missam dici, ex eo quod in illa oblatio & preces ad Deum mittantur, sicque illorum verborum quæ in fine Missæ dicuntur, hæc Missæ est, sensum esse, abire licet, quia oblatio & hostia salutatis jam transmissa est cum precibus ad Deum pro vobis. Ita D. Gregorius lib. 4. Dialog. cap. 58. ubi hæc scribit: Deum Missa quasi transmissio, eoque populus factus per ministerium Sacerdotis qui sanguis vite mittitur inter Deum & homines, preces & supplicationes & vota transmittat Missæ. Missam vero sacrificium, id est hostiam, Missa vocatur, quæ transmissa: primum nobis à Patre, ut esset nobiscum per incarnationem; postea Patri à nobis, ut intercedat pro nobis ad ipsum per passionem; ut & in sacramentum primum nobis à Patre per sanctificationem, postea Patri à nobis per oblationem. Similia docet Sanctus Thomas hic art. 4. ad 9. his verbis: Propter hoc etiam Missa nominatur, quia per Angelum Sacerdos preces ad Deum mittit, sicut populus per Sacerdotem. Vel quia Christus est hostia

E